BREVE
S.D.N.D. GREGORII
diuina prouidentia
Papæ xiii.

Confirmationis Priuilegiorum Ordinis Heremitarum Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis.



Romæ, apud Heredes Antonij Bladij Impressores Camerales.

M D LXXXIX.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

BENIGNITAS apoſtolicæ Sedis conſueta ea quæ per Romanos Pontifices pro religionis cōſeruatione, & augmento prouide facta fuiſſe dicuntur, libenter approbat, aliaque deſuper diſponit, prout conſpicit in Domino ſalabriter expedire. Dudum ſiquidem fe. rec. Eugenius iiii. Nicolaus v. Calixtus iii. Sixtus iiii. Innocētius viii. Alexander vi. Paulus iii. Iulius iii. Pius iiii. & Pius v. prædeceſſores noſtri Rectorem generalem, & alios Prælatos, ac perſonas ordinis ſancti Hieronymi Congregationis beati Petri de Piſis uarijs priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, ac gratijs, tam ſpiritualibus, quam temporalibus ornarunt, decorarunt, & locupletarunt, illaque antea conceſſa approbarunt, & confirmarunt. Cum autem ea firmius ſubſiſtant, ac maiorem uim, & robur obtinere noſcantur, quæ ſæpius apoſtolica auctoritate fuerint communita: propterea Rector & Prælati, ac perſonæ huiuſmodi nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſsis opportune prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, om-

nia & ſingula priuilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, peccatorum remiſsiones, conceſsiones, & indulta, quatenus ſint in uſu, & ſacris canonibus non contrarientur, Rectori, ac Prælatis, & perſonis prædictis, necnon dictorum ordinis, & congregationis eccleſijs hactenus, ut præfertur, conceſſa, ex certa noſtra ſcientia denuo apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illaque innouamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris quam facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem ſupplemus: Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, uel obreptionis uitio, ſeu intētionis noſtræ, uel quopiā alio defectu notari, impugnari, ſed illas ſemper ualidas, & efficaces exiſtere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquā quauis auctoritate ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiſcopo Vrbinatenſi, & dilectis filijs cauſarum curiæ Cameræ apoſtolicæ generali Auditori, ac noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in ciuitate Venetiarum Nuntio per præſentes mandamus, quatenus ipſi uel duo aut unus eorum per ſe, uel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac

quoties

quoties pro parte Rectoris,& Prælatorum prædi-
ctorum fuerint requisiti,solenniter publicantes,il-
lisque in præmissis efficacis defensionis præsidio
assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmis-
sis omnibus,& singulis iuxta præsentium continē
tiam & tenorem pacifice frui, & gaudere,nō per-
mittentes eos desuper a quoquam quomodoli-
bet indebite molestari, contradictores quoslibet
& rebelles,& præmissis non parentes per senten-
tias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque op
portuna iuris, & facti remedia,appellatione post-
posita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si
opus fuerit,auxilio brachij secularis. Non obstan
tibus quibusuis constitutionibus, & ordinatio-
nibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus
etiam iuramento,confirmatione apostolica, uel
quauis firmitate alia roboratis,priuilegijs quoq;
indultis, & literis apostolicis in contrarium quo
modolibet concessis, approbatis, & innouatis.
quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro
expressis habentes,illis aliàs in suo robore permā
suris,hac uice dumtaxat specialiter,& expresse de
rogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.
Aut si aliquibus communiter, uel diuisim ab apo-
stolica sit sede indultum,quod interdici, suspen-
di, uel excommunicari non possint per literas
apostolicas non facientes plenam, & expressam,
ac

ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mē
tionem. Cæterum quia difficile foret præsentes
literas ad singula quæque loca ubi necesse fuerit,
deferri, uolumus præsentium transumptis etiam
impressis manu Notarij publici subscriptis, & si-
gillo dicti Rectoris munitis, eandem fidem in iu-
dicio, & extra adhiberi, quæ præsentibus adhibe-
retur, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Datum Ro-
mæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris,
Die xxv. Maij, M D L X X I X.
Pontificatus Nostri Anno Octauo.

Cæ. Glorierius.